

imperio, id firmioribus legibus sanciretur, ac pro eo Respublica prædes daret. Ducenta insuper aureorum millia petebant, ac ut Ferdinando Cæsaris fratri debita a Senatu pecunia persolveretur; ut vicissim annis superioribus, dum bella recrudescabant, utrinque ablata oppida restituerentur. Ad hæc Senatus decreto in hanc sententiam responsum est. Summo semper studio Rempublicam pacem, foedusque cum potentissimo Imperatore amplexatam fuisse; in eadem manere sententia; nec sibi antiquius aliquid unquam fuisse, quam ut Italiæ libertatem, dignitatemque tueretur: hoc constituto, cetera absque ulla difficultate confecturam. Nam quod ad Ferdinandum attinet; paratam se solvendo esse; dummodo pactio- nibus stetur, atque hinc inde ablata restituantur. Quod autem ad reliqua spectat, rationes concordiae non defuturas: unum id hæere cordi, nec divelli a Senatu posse, ut Sfortia in Insubrum possessione retineatur; ex magnanimitate, aliisque præclaris, ac nullo unquam ævo interituris actionibus Caroli, sibi suaderi; Imperatorem non passurum, ut indigna servitute Franciscus Sfortia liberatus avito imperio spoliatur; qui si (quod vix credi potest) adversus Cæsarem erratum aliquod commiserit, quæ illius est animi magnitudo, ac propemodum divina clementia, Italorum principum, & reipublicæ desiderium respiciet; neque statum Italiæ aliqua in parte immutari patietur. Ea de re, quæ Caroli voluntas sit, cupere Senatum intelligere; eosdem legatos hortari, ut omni officio a Cæsare Sfortiam obsessum liberari, ac in pristinum statum restitui persua- deant. In hac incertorum eventuum hæsitazione, ne aliquod officiorum genus erga Carolum, & Franciscum regem prætermitteretur, placuit Patribus ex veteri instituto perhonorificas legationes ad utrumque mittere, quibus pacem partam, affinitatem illustri conjugio Leonoræ viduæ Lusitaniæ reginæ gratula- rentur. Designati fuere ad regem Sebastianus Justinianus eques, qui tum præturam Patavinam gerebat, ac Franciscus Pefareus: ad Cæsarem Laurentius Bragadenus, atque Antonius Surianus doctor, & eques; quorum alteri, ut functus legatione apud Carolum in Lusitaniam transiret, cum Leonora nuptias potentissimi regis gratulaturus, in mandatis datum.

Interea rex ipse, datis obsidibus, in suum regnum regressus,

H. Mauroceni T. I.

L 3

Bajo-

1526

*Senatus re-
sponso.*

*Sebastianus
Justinia-
nus & Frã-
ciscus Pe-
fareus lega-
ti ad Gal-
liæ regem.*

*Laurentius
Bragadenus
& Anto-
nius Suria-
nus legati
ad Cæsa-
rem.*